Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41512
Copyright: Melk, Benediktinerstift



et datus ē ei principatus et honor. et omnes populus
tribus et lingue seruient ei. Tunc letabit iustus
cum videt vindicta. et pedes suos lauabit in sanguine
peccatoris. Et dicet homo. Si fructus iustus
si tamen est deus qui iudicat in terra. Iustus
es domine et rectum iudicium tuum. Iustitia
tua sicut montes dei. Iudicia tua abyssus multa
Homines et iumenta saluabis domine. Quemadmodum
multiplicasti misericordiam tuam deus. Filii autem
hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.
Inebriabuntur ab ubertate domus tue. Et torrente
voluptatis tue potabis eos. Quoniam apud te fons
vite. Et in lumine tuo videbimus lumen. Diffunde
misericordiam tuam super nos. Et iustitiam tuam
super rectos corde. Ne veniat mihi pes superbie.
Et manus peccatorum non moueat me. Ecce
ceciderunt omnes operantes iniquitatem. Expulsi
sunt et non potuerunt stare. Gloria patri et filio
et spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc
et semper et in secula seculorum. Amen. Ant.
Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies
salutis. Ps. Exaudiat te dominus in die tribulationis
protegat te nomen dei iacob. Mittat tibi auxilium
de sancto. et de sion tuetur te. Memor sit omnis
sacrificii tui. et holocaustum tuum pinguem fiat.
Tribuat tibi secundum cor tuum. et omne consilium
tuum confirmet. Lauabimur in salutari tuo.
et in nomine dei nostri magnificabimur. Impleat
dominus omnes petitiones tuas. Nunc cognoui
quoniam saluum fecit dominus christum suum.
Exaudiet eum de celo sancto suo. Salus in
potentatibus dextera eius. Hi in curribus. et hi
in equis. Nos autem in nomine domini dei nostri
inuocabimus. Ipsi obligati sunt. et ceciderunt.
Nos autem surgentes erecti sumus. Domine
saluum fac regem. et exaudi nos in die qua
inuocauerimus te. Ant. Ecce nunc tempus
acceptabile. Ecce nunc dies salutis. Ps. Domine
in virtute tua letabitur rex. et super salutare
tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis
eius tribuisti ei. et voluntate labiorum eius non
fraudasti eum. Quoniam preuenisti eum in benedictionibus
dulcedinis. Posuisti in capite eius coronam
de lapide pretioso. Vita petiit a te. et tribuisti
ei longitudinem dierum in seculum seculi.
Magna est gloria eius in salutari tuo. Gloriam
et magnum decorem impones super eum.
Quoniam ponis eum benedictionem in seculum
seculi. Letificabis eum in gaudio cum vultu
tuo. Quia rex sperat in domino. et in misericordia
altissimi non commouebitur. Inuenietur manus
tua omnibus inimicis tuis. Dextera tua
inuenietur omnes qui te odierunt. Ponis eos
sicut clibanum ignis in tempore vultus tui.
Dominus in furore suo conturbabit eos. et
comedet eos ignis. Fructum eorum de terra
perdes. et semen eorum a filiis hominum.
Quoniam declinauerunt mala in te. Cogitauerunt
consilia quae non potuerunt stabilire.
Quoniam pones eos dorsum. In reliquiis tuis
preparabis faciem eorum. Exaltare domine
in virtute tua. Cantabimus et psallemus
virtutes tuas. Ant. Ecce nunc tempus
acceptabile. Ecce nunc dies salutis. Ps.
Deus misereatur nostri. et benedicat nobis.
Illuminet vultum suum super nos. et
misereatur nostri. Ut cognoscamus in terra
viam tuam. In omnibus gentibus salutare
tuum. Confitebuntur tibi populi deus.
Confitebuntur populi omnes. Letentur
et exultent gentes. Quoniam iudicabis
populos in equitate. et gentes in terra
dirigis. Terra dedit fructum suum.
Benedicat nos deus deus noster. Benedicat
nos deus. et metuant eum omnes fines
terrae. Ant. Ecce nunc tempus
acceptabile. Ecce nunc dies salutis.
Ps. Deus deus meus respice in me.
quare me dereliquisti. Longe a salute
mea verba delictorum meorum. Deus
meus clamabo per diem. et non audies
per noctem. Et non ad insipientiam
mihi. Tu autem in sancto habitas.
laudes israel. In te speraverunt patres
nostri. Speraverunt et liberasti eos.
Ad te clamauerunt et saluati sunt.
In te speraverunt et non confusi sunt.
Ego autem sum vermis et non homo.
Opprobrium hominum et abiectio plebis.
Omnes videntes me deriserunt me.
Locuti sunt labiis et mouerunt caput.
Sperauit in domino eripiat eum.
Saluum faciat eum quoniam vult eum.
Quoniam tu es qui extraxisti me de
ventre. Spes mea ab uberibus matris
meae. In te iactatus sum ex ubere
matris meae. Ab utero matris meae
deus meus es tu. Ne longe fias a me
quoniam tribulatio proxima est.
Quoniam non est qui adiuuet me.
Circumdederunt me vitulos multi.
Tauri pingues obsederunt me.
Aperuerunt super me os suum.
Sicut leo rapiens et rugiens.
Sicut aqua effusus sum. Et
dispersa sunt omnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera
liquescens in medio ventris meo.
Aruit tamquam testa virtus mea.
Et lingua mea adhesit faucibus
meis. Et in puluerem mortis
deduxisti me. Quoniam circumdederunt
me canes multi. Et